

## COROLL. CAP. I. QUÆST. III.

dignitati ac famæ studeat. Adeoq; Hispanus, qvi credere non poterat, à Gallo imminutum iri suam dignitatem, vicissim Gallorum dignitatem ita reddebat securam, ut qvia inter æqvales nulli conventus institui possent sine contentiobus, præclusa conveniendi occasione, multis concertationibus finem imponeret, salva interim causa sive prærogativæ sive æqvalitatis.

## IV. An Rex sibi ipsi posfit jus dicere?

§. I. Orator sic loquitur: *N'a ton pas veu V. M. aussi tost a la teste de ses Armées en Flandre, se faire justice à elle même, & se rendre Maistre des Estats qvi appartennoient à la Reyne, par le tiltre de Devolution.* Cæterùm hæc quæstio aliter resolvitur in thesi, aliter in hypothesi.

§. II. In thesi non absurdum est, *Principem absolutum sibi jus dicere.* Cum enim superiorem nec ipse habeat, nec adversarium ad superiorem judicem vocari possit; id profectò seqvitur, ut servandæ justitiæ causa, bellum suscipiatur sive recuperatorium sive vindicativum. Inde Petrus de Lora Doctor Complutensis Bellum dicit *Judicium in eos, qvi non sunt subjecti, & qvi per judicium particulare puniri nequeunt.* Quidam etiam Jac. Victoria Doctor Salamancanus eo progreditur, ut statuat: *Hostes obnoxios esse Principi tanquam Judici proprio.* Citat hos Autores Ferrier in Discursu Le Catholique d' Estat, quo in loco sua hæc subnecit verba: *Les Rois sont juges souverains des choses esquelles ils ont interest, & les armes & exploits militaires sont les huisiers qvi font les citations.* Adde, qvod Orator Regis Galliæ missus A. 1551. ad Patres Concilii Tridentini, dum de bello Italo Pontificisq; injuria conqueritur, hoc addit, *satis esse virium, ut Rex sibi jus dicere posset.* Thuan. l. 8. p. 155.

## §. III.